I. N. J.

BIGA REMEDIORUM GENEROSORUM,

Sive

De

REMEDIIS SUDORIFERIS,

cum Præmiſſis de Sudore,

ac

ANALEPTICIS,

DISCURSUS PHISIOLOGICO-THERAPEUTICUS.

AUTORE
JOH. HENR. HERLINO,
Pruſſo M. C.

LIPSIÆ,
Sumptibus JOH. CHRISTIAN. Wohlfart/
Literis COLERIANIS. 1693.

31.

RPJCB

I. N. J.

DISCURSUS PRIMUS,

De

SUDORE ET SUDORIFERIS.

POros formaſſe Naturam pluribus corporis partibus, nemo non perſpectum tenet: quorum tamen evidentem præ aliis ſtructuram præbet habitus ejusdem externus, nempe cutis. Sicut verò hæc conſtat ex tribus præprimis laminis, pellicula ſcil. tenui, exſangvi & multoties perforata; quâ ſublatâ deprehenditur reticulare quoddam corpus, eandem ferè craſſitiem obtinens, ac illud, quod in lingva cernitur, intra cujus foramina juxta Oculatiſſimum Malpighium, crebriores non ſolùm ſudoris meatus, ſed papillulæ quoque nerveæ cum illis à ſubjacente ſubſtantia emergentes continentur: tertia tandem ſub hac expanſione conſpicitur, ſubſtantia ſcil. fibroſa, ex pluribus arteriarum, venarum, nervorum atque tendinum extremitatibus conflata, cui glandulæ innumeræ miliares & conglomeratæ, quemadmodũ eas ad harum familiam, refert Borrich. Act. Haffn. Vol. I. c. 108. vaſisq; ſuis lymphaticis excretoriis donatæ, denſiſſimè interponuntur, ſummè exiles & vix, niſi ope microſcopii, cognoſcibiles. Ita Pori nihil aliud ſunt, quàm glandularum ſubjacentium meatus excretorii, ita, ut ſingulis poris ſuas ſubjacere glandulas Horn. in Microcoſm. p. 64. annotarit. Hos ipſos prælaudatus Malpighius per microſcopium inſpiciens paulò ante ſuos hiatus pelliculis quibusdam convexis, & quaſi valvulis muniri ſcribit, quæ tenſæ ſudorem cohibeant, laxatæ eundem transmittant. Pariter Williſius eôdem microſcopiô munitus bini

 gene-

generis eos exiſtere docet, majores ſcil. in quibus plerisque pilorum radices ſitæ ſunt, quæque per intervalla cujuscunque rugæ cutaneæ, ordine parallelô diſponuntur; & minores, quorum innumera ſpatia majoribus interjecta, punctis quaſi creberrimis adimplent. Ex quibus dictis conſtat, vaſa iſthæc glandularum nominatarum in poros terminari, vel hos potius conſtituere, ita, ut eâdem ratione in his ac aliis corporis glandulis lympha ſequeſtretur, ac per prædictos meatus excretorios profluat: quæ actio communiter Sudatio ſive Diaphoreſis vocatur, quam per effluxionem ſive eruptionem feri per cutis poros in corporis peripheriam forſan non abſurdè quis definire poteſt, ad cujus penitiorem evolutionem antequam me accingam, prælibandam eſſe arbitror vulgarem iſtam Autorum controverſiam, an ſudor excrementum naturale ſit, nec ne? Quippe Sylvius L. 1. Prax. c.58 ita habet; quemadmodum Vomitus, ſic & ſudor mihi non videtur excretio naturalis, ſed aut non-naturalis, aut præternaturalis, aut medica, eaque aut artificialis, aut critica. Similiter Sennertus Inſtit. L. 1. c. 9. diſtingvit inter cauſam efficientem, & inter materiam ipſam ſudoris atque illius intuitu multos ſudores naturales eſſe, hujus verò neutiquam, aſſerit. Plempius verò conſideratâ causâ efficiente, eum vix naturalem, reſpectu verò materiæ ſemper ſecundum naturam, ut & ratione viarum, dicendum eſſe arbitratur. Ut Dioclem non adducam, in corpore ſecundùm naturam conſtituto, ſudorem minimè dari, reliquas verò à balneis, exercitiis aut æſtu aëris ambientis oriundos omnes p n. eſſe, exiſtimantem. Qui tamen rem ipſam, ac recentiorum dogmata accuratius intuetur, dubia hæc haud difficulter ſolvere poterit. Suppoſitô enim, glandulas cutaneas miliares ejusdem eſſe generis, ac dignitatis cum reliquis totius corporis conglomeratis, organa nempe, in quibus ſerum naturale ſecernitur ac ſeparatur, prout ſuperiùs innui: ſuppoſitô etiam, ſerum hoc egrediens vix differre ab univerſa illa lympha ac latice: omninò tàm ratione materiæ, quàm viarum ſudor naturalis erit excretio. Et hoc ipſum accidit quotidie, id eſt, humor

ſero-

ſeroſus ſemper, omnibus etiam in corpore ritè diſpoſitis, ac digeſtionibus integris, in ſtatu ſecundùm naturam per poros excernitur. Exhalant quippe ſangvinis plurimæ particulæ, ob continuam exagitationem, unde quibusdam vita noſtra perpetuum corporis, & ſingularũ ejus partium diſpendium ac ſucceſſiva quaſi mors dicitur, implicantur etiam quotidie ſibi aliæ, ſub nomine nutrimenti: adeoque ſangvis membra noſtra hôc tempore enutriens, haud eſt numerô idem cum eo, qui ante aliquot annos illa permeabat, aut poſt totidem annos irrorabit, id quod etiam clarum reddit ſpirituum diſpendium, ſeu virium langvor ſudorem utplurimùm comitans. Quas autem ſerum hoc interdum ſecum vehit impuritates, & miſcelas ſylveſtres, id contingit tantummodò in p.n. aut morboſa hominis conſtitutione, quasque nec reliquæ lymphæ tunc denegare poſſumus, cùm unà cum maſſa ſangvinea diverſimodè alteretur ac præternaturaliter diſponatur. Nulla hinc conſequentia: ſudor morboſus vel ægrotantium eſt præternaturalis, igitur etiam ſanorum talis eſt. In ſpecie verò ad Sylvii aſſertum regerere licet, vomitus cum ſudore comparationem vix habere locum, quatenus per iſtum pituitoſa ac bilioſa texturâ admodùm ſpiſſiori, ejiciuntur, quod in ſudore haud contingit, dum præter ſeroſa, acrimonia ſaltem ſalſa, acida ac ſimilis excernatur: cruditas verò pituitoſa vix in halitus converti, neque æruginoſa atque ejusmodi ita facilè diſſolvi poſſunt, ut eorundem ſimul particulæ per poros cutis abripi queant; longè igitur hæ excretiones differunt conſiſtentiâ. Pariter nec Sennerti diſtinctione opus habemus; cauſa enim efficiens ſudoris cùm duplex ſit, alia proxima, remota alia atque occaſionalis, prout infrà dicetur, pro horum demùm diverſimoda ratione vel naturalis vel præternaturalis eſſe poteſt, ita, quoad materiam, in ſana corporis conſtitutione contingens ſemper naturalis, in morboſa præternaturalis & quidem per accidens talis ſudor erit nuncupandus. Idem ad Plempii atque aliorum ſententias reſpondendum eſſe arbitror.

Materia Sudoris proxima eſt ſerum ſ. lympha, tàm ea, quæ in vaſis ſangvini permiſta eſt, perhibentibus hoc febribus ardentibus; hecticis, omnem humiditaten abſumentibus, corpusque exſiccantibus: quàm quæ in vaſis lymphaticis ac glandulis continetur, licet, quod dictum, non ſemper ſub puro & ſimplici lymphæ aut aquæ ſchemate, ſed diverſis quandòque qualitatibus imbuta procedat, quale quid de fœmina phthiſica narrat Borrich. loc. cit. Vol. I. p. 155. quòd ejusdem ſudor per plures dies tàm ater fuerit, ut linteamina nigerrimô colore inficeret; ut de fœtore taceam, qui ſæpè graviſſimus in ſudore circa alas ac pedes potiſſimùm erumpente, obſervatur. Remota ſunt cibus atque potus. Saltem in eo modus diſcrepat, ut vel ſub ſenſibili vel inſenſibili magis ſpecie excernatur, quam priorem ſpeciem ob id etiam tranſpirationem ſenſibilem, poſteriorem inſenſibilem vocant, quæ tamen non abſolutè, ſed comparatè talis eſt, quatenus non per ſolum exhalationis modum celebratur, utpote quod glandularum ſtructura minùs permittit, ſed in hoc ſaltem à ſudore vulgò ſic dicto differt, quòd in ſenſibili ſerum intra glandulas ſubcutaneas ſecretum ſub guttularum forma prodeat, in inſenſibili verò idem propter ſui paucitatem partim in vaporem vertatur, partim non, niſi externâ adhibitâ violentiâ conſpicua fiat: omnis enim vapor accedente aëre frigidiuſculô priorem induit naturam, non aliter, ac aqua deſtillata per alembicum ſub nebularum forma aſcendens, ſub liquoris nihilominùs ſpecie egreditur. Ad cauſas accedens, monitum jam eſt, eſſe vel propinquiores vel remotas. Scilicet principalis & efficiens eſt natura propellens & effundens, id eſt, ſpiritus vitales, ſangvinem, datâ occaſione, commoventes, ſerumque proſcribentes: dum enim fibræ corporis vellicantur, tunc commotis iſtis, æſtus infertur, motusque ſangvinis acceleratur; turgeſcentibus ſic cunctis, lympha quoque laudabilis æquè, ac excrementitia per poros glandularum cutis expellitur, imò pro diverſo impulſus ſangvinis violentia & celeritate ſudor contingit modò copioſior,

mo-

modò parcior. Quò autem rectiùs tranſpiratio ſuccedat, requiritur non ſaltem juſta aptitudo ipſius motoris, ſed & ſangvinis & ſeri, glandularum ſecernentium, fibrarumque ac pororum excernentium. Inde enim quædam ſubjecta ſatis bene aut nimis; alia contrà, minùs rectè ſe his habentibus difficulter admodùm, imò alia planè non ſudare queunt. Spiritus quod attinet, quodſi ad hoc negotium minùs fuerint ſufficientes, ſed debiles, ſive id à retroceſſione ſive à diſſipatione eorundem proveniat, tunc omninò ſuppreſſio ejus ac difficultas adeſt. Dicis, moribundos ſæpè ingenti ſudore madeſcere, quorum nihilominùs vires maximè proſtratæ ſunt: reſpondetur, ſudor moribundorum totô cœlô *multùm* differt ab hôc, non enim fit beneficio roboris aut virium impellentium, ſed potius, quòd propter harum defectum glandularum cutisque fibræ evadant laxiores, plusque ſeri admittant & eliciant, habetque ſe inſtar illius, qui in apoplecticis aut lipothymiâ affectis quandoque deprehenditur, aut aſſumta opiata in largiori præprimis doſi conſequitur, unde etiam frigidus eſt. Quò fortè dormientium udor, licet non hecticus, referri poteſt, quem equidem Ariſt. problem. ſ. 2. à calore ad interiora propulſo & quaſi concentrato deducit. Ratione ſangvinis & ſeri, monendum, quodſi aut deficiant, aut cruditatibus ſcateant, tunc exilis etiam ſudor ſperandus. In ſpecie acidum impactum coagulando humores; ſpiſſitudo ac viſciditas remoras injiciendo id efficiunt &c. quod ipſum ſatis moleſtum eſt iis, qui in pleuritidem ſimilemve morbum, mediante ſudore diſcutiendum incidunt, difficulter enim curantur, ut taceam, ad cachexias & leucophlegmaticam ejusmodi homines admodùm eſſe proclives. Pariter cohiberi ſolet à frigore externo conſtipante & congelante. In glandulis verò requiritur legitima ſtructura atque configuratio, in fibris facilis aditus & apertura, in poris juſta amplitudo transmittens: horum ſiquidem obſtructio ac coarctatio vel omnimodam ſuppreſſionem vel parcitatem diaphoreſeos infert. E contrario notum eſt, eos nimiùm ſudare,

dare, qui hecticâ, phthiſi, ac acrimoniâ ſcorbuticâ laborant, quorum ætiologia ex pathologicis depromi poteſt. Imo pororum laxitas in genere plus juſto notabilis, atque orgaſmus ſpirituum & humorum, quem aliàs vocant ebullitionem, pro ſubjecti craſi atque temperie eidem connatus, ſudores nimios & frequentiores nullô non tempore cauſari poſſunt, atque dantur, qui, ſi vel tantillum commoveant corpus, ſtatim proliciunt ſerum, circa manus præſertim, pedesve. Cauſa remota & occaſionalis eſt quadruplex, prima naturalis, nimia videlicet corporis & conſequenter humorum contentorum aut etiam animi commotio, quarum iſta procedit ab ambulando, equitando, currendo, ſaltando, aut clamando: hæc potiſſimùm in meditatione, ira, terrore, conſternatione, metu &c. contingit. Altera eſt præternaturalis, ſive morbi varii, v. g. febres, acrimonia morboſa in ſcorbuto &c. Tertia critica vocatur, itidem in morbo, beneficio naturæ criſin perficientis contingens. Quarta denique artificialis & medica audit, quam abſolvunt medicamenta ſudorifera ſ. diaphoretica: quo tamen etiam referendus aër externus calidus, ſive ſit ſolis, ſive hypocauſti, ac in ſpecie balnei. Quemnam uſum ſudor naturalis inque ſtatu ſano habeat, ex iis, quæ ſuperiùs monui, haud difficulter colligi poteſt. Egreditur nempe quôvis die notabilis ſeri portio, quod niſi fieret, magna inde incommoda emergerent; adeoque reſpicit ſeri imminutionem, ejusque abundantiam moleſtam. Deinde heterogeneorum miſcela feliciter ſimul propellitur, tùm fine præſervatorio, cùm curatoriô: quô tamen aſſertô mihi non ſum contrarius, dum ſuprà dixi, impuritates maſſæ ſanguineæ ac lymphæ in ſtatu tantùm præternaturali eſſe impactas; quamvis enim in ſtatu quoque ſano ſalſæ potiſſimùm ac aliæ ſuperfluitates per ſudorem eliminentur, manet is nihilominùs tunc excretio naturalis, habetque ſe hujus ratione inſtar egredientis lotii, purioris tamen texturæ, nemo autem nec veſicæ nec alvi excretionem quotidianam dicet præternaturalem. Commodum itaque illud à tranſpiratione

tione rectè ſe habente, univerſale obtinetur, quô de Williſ. Tr de febr. p. 70. ait: quamdiu muſtum ſive dolio includitur, ejus particulæ ſubtiles & ſpirituoſæ alias craſſiores perpetuo exagitant, refringunt, & exactæ miſtioni aptas reddunt: quod heterogeneum eſt & ſubactioni ineptum effervescentiâ ſecernitur. Interim liquor depuratus in perenni eſt motu, quô partes omnes (velut atomi in tranſenna lucis variè permoti) quaquaverſus ſe expandunt, & à ſummo ad ima, ab imo ad ſumma, conſtanti circumgyratione contendunt. Particularum attritu & refractione, à liquore decedunt plurima atomorum effluvia, quæ, ſi vaſe ſtrictim occluſô intus cohibentur, liquor nimis efferveſcit, ac ſæpè vas continens in partes diſſilire facit. Non abſimili modô, pergit, ſangvis intra venas & arterias concluſus, conſtanti circulatione urgetur; ſpiritus vitalis craſſiores particulas ſubtiliat, refringit & exactè ſubigit: quod heterogeneum eſt, & non miſcibile foràs expellit, interim à partium & corpuſculorum refractione & ſubactione caloris effluvia conſtanter emanant, & per poros foràs evaporant: quibus occluſis, ſi tranſpiratio impeditur, ſtatim ob nimiam ſangvinis effervescentiam febris accenditur. Notare hîc etiam convenit, huic muneri optimè favere motum corporis non quidem violentum, ſed moderatum. Ut enim ipſa vita nihil aliud eſt, quàm continuus quidam ſpirituum, hinc ſangvinis & reliquorum humorum motus, à quo ſanitas effectivè dependet; ita tanti momenti eſt ad conſervandam ſanitatem motus frequentior corporis, quatenus ex crebriore plurium plus minùs muſculorum contractione, ſangvinis in vaſa capillaria tranſitus multùm adjuvatur, qui repetitô per cor & partes reliquas fluxu & refluxu incaleſcit magis rareſcitque, nec ſolùm ad extrudendas è ſinu ſuo particulas excrementitias aptior ſic redditus copioſiùs has in partibus colatoriis deponendo, ſed ſpirituum quoque in corticalibus cerebri glandulis ſecretionem & motum ſuo modo per medullares ejusdem productiones accelerat, unde quoque Güldenklee motus,

tus, inqvit, corporis membra, nervos & articulos omnes ſolidiores, firmiores, & actionibus omnibus aptiores, magisq; reddit idoneas, coctionem promovet, vias & meatus corporis aperit, pravos ſuperfluosqve humores conſumit & exturbat, putredinem arcet. Spiritus, facultatum omnium inſtrumenta, qvaſi ventilat, ſubtiliores, penetrantiores & leviores reddit, exhalationem vaporum noxiorum promovet, totumqve corpus roborat, in Conſil. Diætet. Sic criticus ac artificialis ſummam merentur laudem. Ille enim, qvem natura e. g. in febribus ac aliis morbis, ob humorum crudorum jam ſeceſſum factum, molitur, qviqve in aliis morbis cum ægri euphoria, accidit, optimus eſt; de hoc vero inferiùs pluribus dicetur, ubi affectus memorabuntur, in qvibus imperari debet, in qvibus non. Sufficiant hæc de Sudore S. Diaphoreſi ex principiis phyſiologicis deducta. Supereſt nunc, ut Diaphoretica Remedia accuratiùs conſideremus, utpote qvæ illam cauſam conſtituunt, qvam vocant artificialem ſeu medicam.

Uberrimum autem eorundem numerum ſuppeditat Materia medica & fons pharmacevticus. Primò enim per quotidianam experientiam obſervare licet, & acria cum ſpirituoſis, reſolventia, expellentia, ac terrea cum aqveis aliaqve plura modò cum judicio propinentur, provocare ſudorem. Convenientiſſimè in Acria & Mitiora ea diſpeſcere licet; Illorum ergò & Spirituoſorum numerum ingrediuntur ſalia, imprimis volatilia ſuccini, cornu cervi, viperarum, millepedum, Spir. ſalis armoniaci, cornu cervi, theriacalis camphorat. juniperi, fuliginis, ſambuci, tartari, ſulph. liq. corn. c. ſuccinat. tinctura bezoard. miſtura ſimpl. &c. nec non ſalia fixa, v. g. cent. min. ac ſalſa ut ſal armoniac. &c. theriaca, mithridatium, & ex ſimplicibus: radix angelicæ, imperator leviſtici, pimpinellæ, chinæ, gentianæ, herb. card. ben. ſcordii, fumar. chamædr. centaur. min. & maj. camphora, myrrha, fuligo, & ſi quæ plura huc referri poſſunt, ſicut etiam plantas, radices, folia ac ſemina diaphoretica fuſiùs tractat Sylv. in

Method.

Method. Med. E Mitioribus ſ. temperatis ſelectiſſima recenſentur partes animalium, cornu cervi, unicornu, ungula alcis, ebur, lapis bezoar; porrò antimon. diaphoreticum ſimpl. & martiale, antihect. Poterii, bezoardicum minerale, cinabaris nativa & antimonii, flores ſulph. bolus armena, terra ſigillata, ſuccinum, Pulvis bezoardicus Senn. Sudoriferiqve alii; aqva fumar. card. bened. ſcordii, flor. Sambuci, rob ejusdem ac juniperi &c. Qvòd verò ſecundò ipſam operandi rationem concernit, acriora eqvidem vellicando fibras, & alliciendo ſerum operari, qvis non perſpicit? fervore enim inductô, motuq; ſangvinis acceleratô fieri neqvit, qvin ſeroſum per poros egrediatur. Mitiora autem & temperata occultare videntur particulas penetrantes ad uſum ſudoriferum ſatis potentes. Specialiùs tamen, quò hæc profligentur, priorum intuitu conſtat, ea abundare partibus maximè penetrantibus, volatilibus, vellicantibus atq; reſolventibus: ut ſunt ſpirituoſa illa allegata, ſalia volatilia cum reliqvis. Hinc qvædam ſimul reſolvunt pituitam viſcidam, pari ratione, qvod ſerum alliciendo illam magis diluant & fluxiliorem reddant; reſolvunt nonnulla etiam ipſum ſanguinem congrumatum, obſtructiones vaſorum & meatuum, & ſic per conſeqvens reſolvendo, aperiendo ac attenuando evadunt diaphoretica. Non ineptè huc referri qveunt amara potentiora, ut gentiana, carduus bened. china chinæ &c. qvatenus hæc pariter acria ſunt, adeoqve reſolvunt ac incidunt, præterea tamen etiam ſingulariter alterant Spiritus, cujus ratione non contemnendum uſum præbent in febribus algidis, ante paroxyſmum ſumpta, ſcilicet ob ſaporem maximè notabilem, ſive is à ſalſedine cum copioſo ſulphure permiſta, ſive aliunde natus ſit; imò ſingularem qvandam prærogativam habent in omni cruditate humorum, unde & optima ſunt ſtomachica. Sic ſalia fixa cum ſalſis pungunt, notabiliter & vellicant, qvô pactô ſudorem excitare valent, ut vel ex ſale armoniaco, egregio antihypochondriaco patet. Pari circiter ratione acida fortiora ac imprimis aceta nonnemo his anume-

numerare poteſt, qvemadmodum etiam non rarum eſt, pro ſcopo ſudorifero hæc applicari, unde aceta ſale volatili imprægnata pronunciat Fehr. Tr. de ſcorzon. p.61. v. M.Nat.Cur.Ann. 2. Obſ. 197. novit hoc vulgus, qvando ante paroxyſmum intermittentium cochlearia duo aceti, ſpiritus vini & aq. ſimpl. aſſumit; qvô nomine qvoqve acetum theriacale, rutaceum aliaqve intelligi poſſunt. Excellentia autem, tanqvam peculiare genus, ſingularem ingrediuntur claſſem, notum enim, prout & infrà dicetur, iis in caſibus hæc ordinari, ubi exanthemata, ut purpura morbilli, variolæ aut latent, aut retropulſa ſunt, ac naturæ negotium faceſſunt: hinc ex bezoardicorum ſive alexipharmacorum potiſſimum penu etiam depromuntur, v. g. myrrhata, ſuccinnata, tinctur. bezoard. terra ſigillata, unicornu, ſem. aqvileg. card. bened. cinabaris utraq; &c. De temperatioribus nunc dicendum eſt, ubi ſtatim ſe offerunt inſipida illa Terrea ac abſorbentia, & mirum videri poteſt, qvomodo hæc omnis penè ſaporis ac odoris expertia ſudorem procreare valent? obſervandum propterea, licet iſthæc non pari cum acrioribus polleant facultate, haud tamen omni ex parte particulis penetrantibus ſpoliata exiſtunt, ſed talia abſcondunt & occultant. Exemplô ſit terra ſigillata, aut ſi genuina præſtò eſt lemnia, qvæ, uti ferè omnes terræ pingves minerales, pro rudimentis habentur metallicis, ſulphure copioſô metallicô in matrice iſta terrea ſuſcepto, divitibus, unde varia iisdem experimenta inſtituuntur à diverſis, imò Becherus ſpiritum exindè elicit atqve ſal volatile ſingularium virtutum v. ejus Phyſ. ſubterr. L. I. p. 87. & ſuppl. I. p. 148. qvibus aliæ limoſæ ac lutoſæ terræ, dictitante experientiâ, non immeritò accenſeri poſſunt. Partes animalium hoc reddunt manifeſtius, qvæ ſuô abundare ſale volatili, tyronibus etiam artis pharmacevtices notum eſt. Deinde verò reſtat alius qvoqve horum operandi modus, qvi ea, ſi vel maximè omnibus carerent ac deſtituta eſſent partibus penetrantibus, nullô tamen modo ex diaphoreticorum ſi non propriè, impropriè tamen

men dictorum ordine excluderet, nempe virtus deſtruendi acidum vitioſum in primis potiſſimum viis hærens, qvô factô ſæpiſſimè per bonam conſeqventiam optatus ſeqvi ſolet ſudor, ut taceam, præ aliis hæc tutiſſimè expellere exanthemata, ut uſta præſertim corn.cerv.eboris &c. Mitioribus qvoq; aqvea annumerari, innui, qvæ ſimiliter ſatis debiles videntur, atq; exiliſſimis conſtare particulis virtuoſis ſeu efficacibus; ſufficiunt tamen itidem, præſertim eo in caſu, ubi æſtus adeſt, nec per calidiora agere poſſumus, præſertim qvoniam non ita facilè ſolitariè, ſed cum aliis ſociantur: deinde autem materiam qvoqve ac vehiculum ſudori præbent in ſubjectis calidioribus & ubi ſerum deficit, aut non ſufficit. Reliqva qvod concernit, ut antimon. diaphoret. antihect. ſuccinum, radices &c. horum qvidem explicatione opus non habemus, partim, qvòd eorum effectus ab aliis latiùs ſint deſcripti, partim, qvia de viribus eorundem activis dubitare nemo audebit. Communiter etiam opium, & ex eo parata referuntur ad Diaphoretica; aſt ſudor ab his productus longè differt ab illo, qvem alia ſudorifera proliciunt, id qvod illi, qvi totam opii naturam conſiderat, facilè evidens fit. Nempe non nego, ſudorem poſt opiatum ſeqvi, neqve refragor, effectum ſæpiùs oriri optatum, ſicubi id poſtulavit ratio hujus vel illius morbi aut ſymptomatis, idem tamen opium eſſe cum alio qvodam diaphoretico, atq; ſic promiſcuè pro hoc ſcopo applicari poſſe, nemo mecum largietur, ſed vis ſomnifera atqve narcotica qvàm maximè attendenda eſt, qvin qvod pariter ejusmodi per accidens tantummodò & bonam conſeqventiam ſudorem conciliare videntur, unde is non rarò frigidus eſſe ſolet, ſubſeqvente langvore, ac virium proſtratione, cujus rei inſigne exemplum affert Williſ. de Anim. brut. P. 2. c. 3. De cætero divinum illud utiqve medicamentum eſſe, cui multa qvoqve debet ipſa theriaca mithridatiumqve, ſi non propter vim diaphoreticam, alia tamen, haud diffiteor, prout Bontius in Garcia c. 4. p. m. 41. habet: ne vobis, inqviens, fucum videar

 obtru-

obtrudere, qvid in noſtris regionibus confectiones ex opio tantopere celebratæ, theriacam dico & mithridatium, qvid deniq; philonium? qvæ niſi opio tanqvam baſi ſuffultæ eſſent, fruſtrà ab iis effectus tàm manifeſtè juvantes qvis expectet. Curioſum autem eſt, purgantia qvoqve in minori doſi exhibita gignere ſudorem, imo intenduntur diaphoretica, qvodſi cum tantillo purgantis maritantur. Dantur præterea externa qvoqve media, qvibus ſudorem elicere poſſumus, ut balnea calida tàm naturalia, qvàm artificialia, eorumq; ſpecies cunctæ; admoventur nonnunqvam tegulæ calentes, aut vaſa aqvâ calente plena, fricatur cutis, aut variis partibus applicantur cucurbitulæ non ſcarificatæ, prout ſcil. neceſſitas magis poſtulare videtur, qvibus annumerare licet illam encheiriſin, dum ſpiritus vini vel ſimplex vel rectificatus ac aromatiſatus in patella ſub ægri pedibus in laconico accenditur, munitô probè corpore: vapore enim aſcendente intenditur notabiliter calor, commoventur humores, ſicq; ſudor aliàs difficulter mobilis facilè impetrari poteſt, qvod remedii genus in genere iis convenit, qvi vel planè non, vel parùm ſudare qveunt.

Perſpectâ ſic naturâ atqve differentiâ Sudoriferorum, ſeqvitur uſus horum legitimus & applicatio: videlicet in genere notandum, methodum hanc per ſudorifera agendi in Praxi eſſe utiliſſimam; neqve enim hæc adeo vires enervant, veluti purgantia, emeticum, aut venæſectio, licet qvoqve non promiſcuè omnibus conveniant, aut cunctis in morbis ordinari debeant. Indicans autem eorum univerſale ſunt humores ſeroſi, ſeu nimis aqvoſi, hoc eſt, ſerum tàm qvantitate, qvàm qvalitate peccans, qvò & malignitas referenda, cujuscunqve indolis fuerit. Non rarò ſudor prorumpit varii generis, nunc inodorus, nunc odorus aus fœtidus, acidus, ſalſus &c. in genere enim ſerum evacuant, deſiccantqve corpus ac inſpiſſant humores nimis aqvoſos. Speciatim autem & alii ſcopi hoc præſidii genus poſtulant, ubi verb. gr. reſolvendum, aperiendum, expellendum, nec non

exci-

excitandum eſt. Econtrà prohibent ea ſeri defectus, vires diſſipatæ, corporis habitus ſolidior, maſſa ſangvinea firmior, obeſitas nimia, item illi, qvi jam tùm ſudore diffluunt, ut hectici. Tempus Diaphoreſeos electionis eſt matutinum ac veſpertinum; neceſſitatis verò indifferenter ſe habet, cùm urgente, indicante, neqve prohibentibus viribus omni tempore ſudare liceat. Adminiſtrandi autem modum, qvod ſpectat, obſervandum primò, externa hîc reqviri, vel enim collocandum corpus in laconico, vel ſtragulis benè tegendum, (balneum calidum, naturale æqvè ac artificiale non promiſcuè adhibetur) deinde tamen moderamine etiam opus eſt, nec enim debent cruciari mille integumentis, neqve adeò rigorosè ſudor continuari: immoderatus enim valdè qvoqve disjicit vires, imò ſuffocari qveunt, qvodcunq; enim privat nimis ſerô ſanguinem, damnoſum eſt qvàm maximè, ut loqvitur Nobiliſſ. Wedelius de Venen. & bezoard. c. 4. conf. Bartholin. C. 3. Epiſt. 42. hinc etiam potiunculis aliisqve humectantibus domeſticis ſolemus iterum ſolari defectum ſeri. Ratione temporis de die ſemel ſufficit, niſi affectus gravitas aut periculum repetendam diaphoreſin jubeat, una qvoqve hora aut dimidia ſufficiens eſt. Interim placidè & cum euphoria excitari ſolet in laconico, imò, qvod non præſtat ſudor, præſtat tenuis udor, nec enim iſte ſemper adeò neceſſarius eſt. Tertiò corpus ab aſſumpto ſtatim pharmaco ad ſudorem ſemper urgere, minùs congruum eſt, qvatenùs nec cuncta hæc remedia, imprim. temperatiora iſtum tàm citò ciere ſolent, ſed poſt moram qvandam demum operari incipiunt. Inter ſudandum quartò, neqve ſomnum neqve potum interdicere decet, dum utrisqve potius levetur ſudor ac promovetur. Finitô tandem eôdem corpus calidô linteolô abſtergere, & qvæ præterea reqviruntur per ſe nota ſunt. Videamus affectus qvosdam, in qvibus diaphoretica locum habent, e. g. coryza & affectus catarrhales poſtulant talia, ut ſpir. ſal. armon. ſ. & aniſat. tartari, cornu cervi, decocta lignorum, cinabar. antimon. ac ſpecif.

ciſ. cephal. In hydrope eadem cum ligno gvajaco, rad. ſcorzon. ſal vobat. milleped. ſangvinis humani, antimon. diaphoret. cum ſpecificis mixta, ubi tamen monendum, difficillimè ſudare hydropicos propter pororum occluſionem, quæ in partibus ſuperioribus à fibrarum ariditate, in inferioribus verò ab earundem tenſione quadam & rigiditate ſpaſmodica oritur; quo pactô ſangvis à ſudoriferi particulis in textura diſſolutus ſerum, quod per glandulas miliares egredi nequit, in aſcitis potius nidum deponit, v. Williſ. Pharm. rat. P. 2. p. 165. Evacuatur quoque iisdem ſerum ſeminis aquoſum, tanquam cauſa ſtruens ſæpè gonorrhœam ac pollutionem nocturnam. Nec inconvenienter diaphoretica ordinantur in alvi fluxu ſeroſo, ut & dyſenteria, tumoribusque ſingulis œdematoſis &c. Sic in plethora, ſi ſeroſa nimis fuerit maſſa ſangvinea, cholera humida antimonialia impr. laudem merentur cum martialibus. Reſolvendo & aperiendo magis agunt in pleuritide, ut antimon. diaph. mart. dens apri, ſangvis hirci, fuligo &c. hâc tamen cum cautela, quod ſi pleuritis nondum ad ſuppurationem pervenerit, cùm tunc fruſtrà ægri ſudorem profundamus. Eôdem pactô utilia ſunt in caſu ab alto & ſangvine congrumato terrea cum aceto, pulv. cardben. terra lemnia, bolus armena, antimon. diaph. quod cum reliquis chymicis, ut bezoard. mineral. antiheɛt. Pot. aliis remediis in hoc caſu præfert Sylv. pariter myrrha, cum medulla ſaxonum & lapide hæmatite egregia hîc eſt, ut alia non adducam. In obſtructionibus menſium ac lochiorum ſubitaneis à potu frigido, refrigerio & terrore natis ſummè egregia ſunt, ut tinctura bezoard. Eſſ. myrrhæ, ſpir. ſal. armon. quæ cum reliquis volatilibus tantò magis requiruntur, quodſi à viſciditate humorum malum hoc provenerit. In arthritide ad tumorem diſcutiendum requiruntur quàm maximè, quemadmodum etiam laudantur antimon. diaphoret. materia perlata Crugn. ſpir. ſal. ammon. quem extollit modò nominatus Sylvius, tinctur. antimon. tartariſata, ſpir. corn. c. &c. Sic in Inflammationibus in genere, atque eryſi-

eryſipelate, bubonibusque requiruntur ſudorifera diſcutientia, ſed talia, quæ minùs acria ſunt, ut cornu cervi uſtum, antiheɛt. Pot. antimon. diaphoret. cinabar. antim. &c. item in ictero poſt ſublatam obſtructionem, atque ſi ex abundantia bilis, poſt evacuantia, ad pellendam ſcil. flavedinem cutis antimonialia cum ſpecificis. Similiter laudantur in aſthmate à fœtore calcis vivæ, halitibusque arſenicalibus. Nec omittantur in prolapſu uteri, divertitur enim iis & præripitur omnis humorum affluxus. In affectibus quoque à peculiari ſpirituum idea obortis utramque faciunt paginam, quò referuntur febres omnes intermittentes, hanc enim egregiè fallunt adhibita ante paroxyſmum, quô nomine veniunt illud Fabri ſudoriferum, cum ſalibus fixis & volatilibus, rob juniperi, ſambuci, fumaria, card. bened. centaur. china chin. ac reliqua. Pertinet huc hydrophobia, in qua fortiora requiruntur tinctura bezoard. mixtura ſimpl. theriaca, mithridat. ac ſpecificè ſem. card. mar. dictamn. cret. &c. juxta Rajum Brittannum enim non impoſſibile eſt, vegetabilia etiam poſſe corrigere & ſanare morbos, quos ſpiritus mali humores corporis depravando intulerunt, citante Borrich. in Tr. de uſ. plant. p. 75. In philtro, poſt adhibitum vomitorium appropriata ſunt tinctura bez. ſpir. ſecundin. hum. ſal volat. viperar. antimon. diaphor. &c. Fit enim his in caſibus notabilis ſpirituum diverſio, quâ impreſſio hactenus inhabitans enormiter deſtruitur, cui multum confert, quod per ſudorem ii quoddammodò minuantur ac debiles evadant. In apoplexia, paſſione hyſterica & ſimilibus excitando potius agere videntur ſpiritus torpidiores, ut & in affectibus ſoporoſis. Expellentium denique uſus laudatiſſimus ac latiſſimus eſt cunctis in morbis, ubi vel malignitas, vel alii pravi humores foràs eliminandi ſunt, quemadmodum hoc fieri debet in febribus malignis, ubi vel petechiæ vel variolæ aut morbilli, purpura, bubones, a. carbunculi adſunt ac latent, tunc enim per ejusmodi horum proruptio promovetur ac facilitatur, nempe lap. bezoar. unicornu ver. ungul. alc. bol. armen. ebur, cornu

cervi, bezoard. ſolare, joviale, lunare, antiheɛt. Pot. aq. ſcorzoner. flor. ſambuc. calendul. card. ben. ſcordii, ſpir. theriacal. camphor. theriac. mithridat. cautè tamen, nam per acria non æquè feliciter obtinetur negotium, quibus ſyrupi Citr. acetoſitat. ejus, atque alia acidula & confortantia paſſim, in minori tamen doſi, interſeruntur. Fortiora autem ac acriora promptiùs conducunt in ſingultu à podagra, purpura atque aliis exanthematibus retropulſis. In Ictero à veneno eadem requiri videntur, præ aliis tamen commendant antimonialia ac lapidem bezoar, quæ etiam in tinea capitis atque cancro occulto proſunt c. aliis. In lue venerea ad expellendum latitans malum, notiſſima ſunt decocta lignorum, ſaſſafr. gvajaci, rad. ſarſæparill. ac chinæ, cinabaris antimonii vel nativa miſtura ſ. v. Hartmann. in Chymiatr. ac Quercetan. in peculiari de hac lue tractatu. Sic in abſceſſibus ac furunculis expellentia adhibita horum faciliorem proruptionem atque curam promovent. Tantò autem magis ejusmodi opus eſt, quodſi dicta exanthemata vel propter nimiam corporis denudationem, aëremve frigidiorem vel aliam ob cauſam ad interiora revocantur, tunc enim lerna malorum, imò niſi temporiùs auxilium fertur, ipſa mors præ foribus eſſe ſolet, quatenus nervoſum genus ab iis correptum in ſpaſmos varios ac inordinatos motus rapitur; faucibus tunc, collo, cæterisque reſpirationis organis ſuffocatio, ſumma præcordiorum anguſtia, vomitus, virium maxima proſtratio, jectigatio, ſingultus ac denique convulſiones, epilepſia atque mors accedere ſolet, atque reverà ſymptoma hoc funeſtum eſt. Similia tineam capitis, ſcabiemque retropulſam atque herpetem intempeſtivè curatum inferre, imprimis ſurditatem, cœcitatem, atque epilepſiam, paſſim apud Autores leguntur exempla. In his tamen caſibus præter expellentia ſingulare commodum afferunt veſicatoria, teſte ipsâ experientiâ, ac Horſt. Decad. Epiſt. 10. p. 53. Miſc. Cur. ann. 2. Obſ. 214. quæ nunquam ſatis laudari queunt in variolis ac morbillis retropulſis, quibus in gravioribus affectibus, urgente neceſſita-

te,

te, ipſi fonticuli ac ſetacea ſuccedere poſſunt, de quo hîc obiter. Defectui planè ſudoris ac difficultati nihil fortè melius, quàm aquoſa in larga doſi cum ſalibus volatilibus pariter largiùs propinatis opponi debent, adhibitis illis mediis externis, quæ ſuprà recenſui. Reliquos morbos, in quibus diaphoretica ordinari debent, quivis haud difficulter cognoſcere poterit.

DISCURSUS SECUNDUS
De
ANALEPTICIS.

QUodſi Veterum evolvimus Materiam Medicam, certa Capita ſeu Claſſes offendimus, in quibus ii appropriata, ſpecifica ac certis membris determinata deſcripſerunt remedia, quæ illarum partium, à quibus denominationem deſumunt, calidum nativum à proprietate & ſingulariter foveant. Verùm precarium hoc eſſe dogma, vel inde patet, quòd tonus & calidum innatum, vel potius ſpiritus vitalis omnium partium idem atque idem ſit, teſte Quercetano, Bakio aliisque è modernis; læſo enim ſpiritu in una functione, omnes ſimul læduntur, unde fruſtraneum eſt, hepati, lieni &c. peculiaria adſignare remedia, hoc eſt, talia, quæ præcisè hæc viſcera, non item alia membra confortant, calefaciunt, refrigerant. Undenam etiam probabitur, agrimoniam e. g. centaurium, chamædryn, vim non æquè aperitivam in alia loca atque jecur exerere? idem de ſplene dicendum, cui varia conſecrant, ſantalina, martialia, ungventum de ammoniaco, cumprimis, quia lien in multis affectibus incuſatur, in quibus tamen inſons eſt. Anne etiam putas, ea, quæ e. g. uteri tono videntur ſpecifica, contrariari tono vel ſpiritui nervorum alibi exiſtenti, ut cerebri, thoracis? Et poſitô, jam veteres multorum energiam in aliis quoque locis ac viſceribus animadvertiſſe, religioſa tamen ac peculiaris illa cum hoc vel illo mem-

bro conſpiratio, quam adeo conſtanter ſibi perſvaſerant, minime admittenda. Dicendum itaque, generalem potius remediorum ſelectum ac facultatem, poſt purgantia in ſpecie ſic dicta locum habere, ſive operentur in ipſos ſpiritus vitales, ſive maſſam ſangvineam, cæteroſque humores, ſive cruditatem & excrementitiam ſaburram, vi v. g. confortante, anodynâ, refrigerante, antiſpasmodicâ, aperitivâ, diureticâ, abſorbente, carminativâ, udoriferâ, vulnerariâ, reſolvente, ex quibus ſane & caput, & cor, & uterus ſuum ſentiunt emolumentum, evaditque remedium & cephalicum, quando ex. gratia memoriæ imbecillitas vel ſenſuum hebetudo ægrum vexat, & cordiale, ſi lipothymia vel ſyncope accidat, & ſtomachicum in apepſia & anorexico, & uterinum in ſterilitate muliebri, partuque ob virium defectum difficili, atque ſic porro. Ex horum cenſu luſtrare placet Remedia Analeptica, ab ἀναλαμβάνω, iterum refocillo, unde & Refocillativa, Confortantia, Excitantia ac Nervina dicuntur, vocata, quod Remedii genus minùs aptè vulgò dicunt Cordialia. Quamvis enim cordi etiam laboranti per bonam conſequentiam ſuccurrunt, fit tamen idipſum non ex ſpecifica vel appropriata virtute, ceu ſupra dictum, dum ipſum cor robur ſuum omne, atque vitalitatem ſolis debet ſpiritibus, tanquam vero principio vitali, à quo & univerſi corporis vires dependent, contrà eô deficiente, cerebri pariter & cordis, reliquarumque partium functiones enervantur, quodque teſte Moeb fund. phyſiol. p. 139. proximum animæ inſtrumentum eſt. Hinc ligatis nervis, ſpirituumq; affluxu denegatô, evadit cor immobile, omnemque functionem cum reſpiratione & vita amittit, experimentô Loweri, Tr. de Corde c. 7. Nec etiam Cor magis pro vitæ ſede, qualis veterum mens erat, habetur; adeoque nec remedia confortantia, ut ab eo appellationem petant, neceſſum eſt, nam & ſtomachica & cephalica, aliaque ſimilia præſtant.

Sunt autem Analeptica propriô ſignificatu, Remedia talia, quorum acriora ſpiritus vitales torpidiores ac motu langvidos

dos peculiari ſuâ acrimoniâ commovent ac excitant ; minùs acria, quæ temperata vocabo, acceleratos atque fervidos ſ. æſtuantes compeſcunt: in univerſum autem deficientes atque debilitatos, ſvavibus ſuis & homogeneis particulis recreant, augent ac reſtaurant. Impropriè verò dantur quoque Confortantia, quæ ſaltem remotivè ſe habent, quatenus omnia ea removent, quæ ſpiritibus, & conſequenter viribus moleſta ſunt, eosque lædere poſſunt, vel etiam, quæ eorundem motui inquieto ac confuſo, quô à ſtatu naturali recedunt, ſubveniunt. Priora pollere acrimoniâ, alia quidem fortiori atque notabili, alia mitiori, unde & illa vocantur calida, hæc frigida, ſapor eorundem acris æquè, atque gratiſſimus prodit. Cùm ergò non raró ſpiritus noſtri in diverſis affectibus, prout infrà dicetur, torpidiores atque langvidi obſervantur, opus utique habent motore atque excitatore, quas partes optimè ſuſtinent calidiora roborantia, quatenus acrimoniâ ſuâ fibras, nervoſumque genus vellicando ſpirituum torpiditatem ac motum deficientem corrigunt, excitando eos ac ſimul reficiendo. Eſt nimirum principium noſtrum vitale materiale quid, quapropter nunc augetur, nunc minuitur, continuamque patitur partim alterationem, partim jacturam, unde & reſtaurari ac augeri poteſt, veluti id deduxit Nob. Rivinus in Diſp. de Spir. hom. vit. Cui operi ſicut in ſtatu naturali inſerviunt aër & alimenta: ita nil impedit, ut in morboſa convenientia remedia hoc multò citiùs præſtent, quemadmodum videmus, flores odoriferos, balſama fragrantia per odorem quoque mediantibus proceſſibus mammillaribus ſpiritibus communicare ſuam virtutem, ut inde fugentur animi deliquia, ægrique quaſi reviviſcant, quod ipſum multò magis accidit, quodſi internè adhibeantur aquæ confortantes, moſchus & ſimilia. Probabile inde fit, inexiſtere his tales particulas, quæ facile cum ſpiritu noſtro vitali uniri queunt, magnamque cum eo habent convenientiam. Quamvis enim tale remedium non totum ut inflammabile ac oleoſum vel ſalinum & aquoſum in naturam ſpirituũ

convertatur; certum tamen eſt, in eo deliteſcere particulas ſubtiliſſimas verè analepticas, quæ cum iis coincidunt atque combinari queunt non difficulter. Extraordinarium autem eſt, quando peculiari idioſyncraſiâ nonnulli, imprimis fœminæ fœtida præ ſvavibus ſeligunt, aut ſaltem grata quædam perferre nequeunt, quorum phantaſia afficitur nauſeâ tali, conf. Salmuth C. 2. obſ. 17. Sic enim dantur, qui ambram & moſchum reſpuunt, ſic idioſyncraſiam adverſus Saſſafras notavit Panaroll. Pentecoſt. 5. Obſ. 23. Sic refert Adrian. Spigel. in Iſag. Rei herb. p. m. 186. Oliverium Caraffam Cardinalem non potuiſſe ſufferre odorem roſæ. In ſtatu tamen ordinario ac naturali nunquam non ſpiritus noſtri delectantur quibuscunque jucundis, jucundô ſonô, viſu, ſapore, nec facile deſiderabunt fœtida aut ingrata. Temperatiora verò imprim. acidiuſcula Roborantia præter vim refectoriam id ſimul agunt, ut ſpiritus æſtuantes & fervidos ſedent, motum eorum acceleratum, qui ſæpe etiam occurrit, compeſcant, ſicque illam debilitatem, quam intulit æſtus præternaturalis, tollant. Multum proinde errat Wilh. ten Rhyne, quando in Hippocr. T. citante Rivino Diſſ. de Bile c. 3. §. 12. confortantia nullâ aliâ ratione operari, niſi quòd ſal volabile bilis ab iis & in ſpecie aromaticis intendatur, exiſtimat, quod per cerebri canaliculos in animales ſpiritus rectificetur. Neque opus eſt, ut cum Bartolino in Hiſt. de Lact. thorac. c. 14. credamus, vim reſtaurativam ex alimentis atque medicamentis recipi à vaſis lacteis thoracicis, vel ex ventriculo per glandulas lacteas, vel œſophago, ſtatimque deferri ad cor. Hinc, ait, citiſſimè adeò Cordialia, vini potus, acetum & alia hujus cenſus vires reficiunt, ob ramum lacteum œſophago conterminum & lactearum reliquarum ad cor brevem commeatum, cùm per longas venarum ambages non ita ſarta tecta perferrantur. Ex quo fundamento etiam deleteria & venena eâdem celeritate cor petere, ejus ſyncraſiam deſtruere & ſpiritus interficere idem arbitratur; verùm præterquam quod vaſa hæc adeo nondum cognita ſint, nititur hoc argu-

gumentum hypotheſi illâ, eaque falſa, de corde. Dicendum ergo potius, ſufficere ſolam ſpirituum in œſophago atque ventriculo præſentiam, qui hactenus hebetiores ac debiles virtutem analepticam ſentientes excitantur robur accipiunt, atque, uti tales quoque ſuâ naturâ ſunt, atomi evadunt ſummè activi & mobiles, ut exinde remotiſſima etiam loca vires acquirere, veroſimile fiat, multò magis, ſi ulterius fertur medicamenti virtus.

Sunt autem Analeptica propriè talia aut acriora, aut temperata, in univerſum autem gratiſſimi odoris ac ſaporis. Ex illis ſunt e. g. Spiritus & Aquæ ſpirituoſæ, Eſſentiæ, Elixiria & ſimilia, ut Aq. Cinam. Meliſſ. Roſmarin. Ocymi, Salviæ, Menth. Majoran. Serpill. Origan. Lavendul. &c. omnes cum vino paratæ. Vinum ipſum generoſum, quod in genere modicè aſſumptum alacres nos hilaresque facit, ac robur corporis notabiliter auget, imprim. antiquum, quod minùs de ſalibus participat, ſed ea cum tartaro jam ad fundum depoſuit; præferuntur etiam hiſpanicum, malvaticum, canarienſe &c. Nobilem enim Vini Eſſentiam hâc univerſali eſſe pleniſſimam, apud celebriores phyſicos in confeſſo eſt, vid. Becher. ſuppl. phyſ. ſubter. p. 79. hinc etiam ejusd. ſpir. rectificatus & reliqui plantarum confortantium huc pertinent, ut, Roſarum, qui ſummè analepticus fit, ſi floribus in fermentatione aliquantillum ambræ pulveriſatæ ſimul additur, aut, ſi juxta Charras Pharm. reg. P. 2. c. 15. cum fructibus cynosbati fermententur, meliſſæ, lil. convallium, ceraſ. nigr. citri, fl. til. pomor. dulc. rubi idæi, baccar. juniperi. Spectant huc Aquæ illæ confortantes compoſitæ Magnanimitatis, Cordial. Herc. Sax. cal. apoplect. Epilept. Carfunc. Vitæ Damaſc. Anhalt. Balſ. Embryon. Item Eſſent. Ambræ cum vino malvatico vel ſpiritu roſar. Namphæ, ligni aloes, Elix. Vit. Matth. Quinta Eſſ. Cinam. ex oleo & ſpiritu proprio. Excellunt quoque diverſa Compoſita, quæ ex præſtantiſſimis confortantibus ſingulari modô præparata Fratri meo agnatione, Parenti meritis, D. Bernhardo Herrlino, Phyſico apud Coburgenſes celebri, uſitata ſunt, ſub

tit.

tit. Miſturæ ſolaris, Confectionis cardiacæ, aquæ analepticæ calidæ &c. De Ambra notæ ſunt Autorum controverſiæ, dum alii pro hoc, alii pro alio illam venditant concreto. Imprim. Fidus Klobius pecul. de ea Tractatu pro excremento avium eam habet, nobili roris eſſentiâ adeò turgidô, ut ſpiritus vitales ad ebrietatem usque repleat, v. etiam Borell. C. 4. Obſ. 66. & Velſchius Hecatoſt. I. p. 122. Helbighius verò, prout ex Ephemer. Germ. Ann. 9. p. 459. patet, ambram gryſeam, nec gummi ex arboribus effluens, fortuitoque mari ingeſtum, nec ſtercus avium, ſed bitumen eſſe, quod in fundo maris eôdem modô, quô pix marina, creſcit & coagulatur, perhibet, additque, ſibi à Dn. Gabriele Nakke, Mercatore Batavienſe, tanquam oculato teſte, affirmatum eſſe, illam à mari ad littus in Inſulis Mauritii Magadaſcar & Auſtral. Orientalibus ejectam ardentiſſimè ab apris abripi & devorari; quæ ſententia etiam probabiliſſima eſt. De Moſchi folliculis v. easd. Ephemerid. Ann. 9. p 107. & Additament. ad Ann. 4. Obſ. 205. Sequuntur Aromata, ut Cinamomum, fragrantiſſimum illud atque inſigne analepticum & confortativum, quod mirè afficit & recreat ſpiritus, unde Veteres dicebant, miror, quod moriatur homo, qui utitur cinamomô, referente Matthiolo in Herbario. Oleum ex hujus foliis eliciendum docent Act. Anglican. Vol. I. p. 724. & Haffniens. Vol. 3. p. 37. & 167 Grati quoque odoris ac ſaporis Coſtus arabicus eſt, porrò Cardamom. Cubeb. Nux moſch. Galanga, Cort. Citr. aurant. flor. mac. lign. aloes, hujusque extract. rhodii, Saſſafras, quibusdam lignum aromaticum dictum, quæ tamen paulò mitiora ſunt. Faciunt huc Olea ſtill. lavend. rut. ſpic. majoran. cinam. caryophyli, ſalv. ſerpilli, nec minùs balſama fragrantia acria, confectio anacardina, à fructu, anacardio (cor referente) appellata, exque India Orientali ad nos allata, ſuaviſſimi ſaporis, cujus duplex genus recenſet Wormius in Muſeo, participat præterea de acrioribus aliis. Tandem huc referuntur Theriaca & Mithridatium, ut & nonnullæ conditura Cort. Citr. aurant. nuc. moſch.

&c.

&c. Chocolada quoque ipſa, atque cuncta illa ſimplicia, imprimis vegetabilia, hâc facultate gaudentia. Antequam ad alia progrediar, circa hæc notandum, requiri interdum etiam alia excitantia ac commoventia, operandi citiùs fortiusve gratiâ, ſalia ſcil. volatilia, ſpir. ſal. armon. fuliginis, cornu cervi, liq. c. c. ſuccinatus, ſpir. theriacal. camphorat. tartari, viperarum, ſal vol. lumbricor. terreſtr. ſangvinis cum ipſa camphora & caſtoreo, necnon acida ſpir. vitriol. volat. formicar. acid. ipſumque acetum lil. convall. lavendulatum & ſimilia; Neque ineptè agunt, qui prædictos v. g. ſpiritus cum verè analepticis conjungunt, e. g. cum ſpir. lil. convall. til. ceras. n. &c. Ut taceam, ſalia fixa & ſalſa paulò acriora, ſiquidem & hæc ſuô modô ad Excitantia referri poſſunt. Operantur enim cuncta hæc pungendo ac vellicando fibras partium ſenſatas, atque ſic irritando, ſpiritus inhabitantes, & commovendo, aut etiam alliciendo influentes, ut cum DD Rivin. Diſſ. de Med. Propr. c. 1. §. 10. loquar.

Quia verò non ubivis Acriora hæc conveniunt, ſed temperatis agendum eſt, idcircò tanquam probatiſſima eorundem claſſem ingrediuntur e. g. Pulpa & ſuccus Citri, ac Aurant. totus quippe citrus corroborans univerſale eſt, cujus præparationes convenientes v. apud Hoffmann. Clav. Schröd. c. 1. & Ludovic. Pharm. p. 597. Porrò ſuccus granator. gran. kermes, rib. ceras. n. berber. rub. id. Aquæ fragor. ceras. n. typh. cerv. rub. id. galeg. Borrag. bugloſſ. roſar. violar. fl. til. tunic. primul. ver. meliſſ. ſin. vin. aliæque minùs ſpirituoſæ; atque compoſitæ temperatiores, ut cordial. Herc. ſax. frig. ac imprimis cordialis temperata itidem D. Fratri uſualis, ex H. acetos. fl. Borrag. bugloſſ. viol. roſar. Rad. ſcorzon. Malis Citr. Cinam. acut. Croc. &c. c. āā vini francic. & aq. fontan. deſtillata per M. B. ut & ejusdem aqua analeptica frigida dicta. Pertinent huc ſyrupi acetos. citr. berber. granator. acetoſell. rib. frag. corall. Q. Julep. roſac. viol. Conſerv. fl. citr. tunic. vitriolat. arant. roſar. condit. rib. berb. carn. citr. ut de ſimplicibus pauca memorem, flores violar. cheiri, lil. convall. roſarum, quæ vo-

cantur Princeps florum, jaſmini, cujus Oleum confic. docet Zwelffer. Append. ad Pharm. Aug. p. 45. ubi in genere modum præparandi olea hæc odorifera, de quorum inventione Itali gloriantur, monſtrat. Nempe quia vis florum ejusmodi, ut jaſmini, aurantiorum, citriorum, lil. vulgarium, tuberos. violarum, cum oleis puris vel liquidis evocari nequit, amygdalæ, vel, quod melius, baccæ been, utpote quarum oleum expreſſum ad multos annos incorruptè proſtat, minutiſſimè conciſæ cum dictis floribus ſtratificentur, & odore atque virtute horum ſufficienter imbutæ exprimantur, oleumque fragrantiſſimum ab his ſeparatur. Imò Quintas Eſſentias, quas iidem Itali ac Galli crepant, nullâ aliâ ratione præparari, quàm Vegetabilia per ſpir. vini tartariſatum extrahendo, huicque liquori olea deſtillata commiſcendo, teſtantur recentiſſimi Chymici. Ad propria veraque Analeptica ſpectant quoque Nutritiva, quatenus non ſolùm ſpiritus, ſed & humores ac partes ſolidas augent & reſtaurant, qualia ſunt Gelatina Cornu Cervi, Eboris, Amygdal. dulc. Pinеæ, Piſtac. Medulla panis, lac, ova ſorbilia, juſcula inſtaurantia, modò reſpectus habeatur uſurpantium; non enim omnia iſthæc omnibus adæquata ſunt ægrotis: ſufficit, illis, quibus conveniunt, reſtaurativas largiri particulas. Quò nonnulli referunt aquas illas ex animalibus deſtillatas, v. g. aq. Capon. Auguſtanorum: ſic pro ſcopo confortativo picæ, hirundines, cerebrum humanum, pulmones vituli &c. deſtillationi ſolent ſubjici. Nutritiva illa, partesque animalium, prægreſsâ coctione & præparatione, omninò reſtaurant vires corporis, extant enim propterea cibi locô, & quotidie iis fruimur: hinc cibus eſurientem, eſuriendoque langventem ita ſtatim reficit, ut in toto corpore inſignem animadvertat refocillationem, conf. Takius in Chryſog. in ſpecie, ubi de volatili panis noſtri alimentaris agit. Quantum verò ad aquas iſtas, uti vulgò parantur, pertinet, non cenſuram tantummodò, ſed plenariam eliminationem ex deſtillandorum numero merentur, quandoquidem perexiguum

gela-

gelatinoſæ ſubſtantiæ poſſident, prout & eas Zwelffer. Pharm. Aug. p. 287. & 309. ac Pharm. Reg. p. 200. rejicit. Hæc fuerunt propriè dicta Analeptica, quæque poſitivè ſe habent. Sequuntur impropriè ſe & privativè tantùm habentia. Dum enim non raro accidit, ut vel cruditates acidæ, ac aliæ acrimoniæ in primis viis, vel bubones & petechiæ malignæ, variolæ, purpura, vel agrypnia ac ſumma ſpirituum inquietudo, doloresque variarum partium naturæ negotium faceſſant, atque ſic vires & robur corporis enormiter dilapident; hinc factum, ut hæc diſpeſcantur vel in abſorbentia & præcipitantia, vel in ſudorifera & expellentia, atque præcipuè ea, quæ ſunt ex alexipharmacorum numero; vel denique in anodyna & hypnotica. Ex Præcipitantibus ſeliguntur præprimis corallia, margaritæ, mater perlas. cornu cervi, ebur, unicornu, carneol. amethyſtus, granatus, ſmaragdus, hyacinthus, Lapis Bezoar, Os de corde cerv. Pulveres bezoardici per ſe ac cum ſalibus volatil: magiſteria cordialia, ungula alcis, ſpecific. cephalic. M. Expellentia autem ſuprà in Diſcurſu de Sudoriferis recenſitá extant. Anodyna denique & hypnotica hôc locô intelliguntur crocata, opiata, ut ipſum Op. crudum, laudanum, cydoniatum, tinctura anodyna; diacod. mont. ſem. papav. albi, flor. papav. rhæad. & nympheæ, extractum croci, oleum nuc. moſch. expr. medulla oſſium, nuclei perſicorum &c. Singula enim hæc cauſis antedictis ritè ac debitè oppoſita removent ea impedimenta, quæ langvorem atque virium imbecillitatem induxerunt, ſicque per conſequentiam evadant Roborantia.

Supereſt, ut omnium non ſolùm Uſus legitimus, verùm & abuſus ſpecialiùs examinetur & exponatur. Non tantùm tunc prudens medicus ea applicat, quando omnia videntur conclamata, & vox inter fauces media hæret, quandò & æſtus intenſiſſimus carnes depaſcit, & virium totalis defectus prognoſin facit periculoſam: in quo caſu nonnunquam medico famam conciliant & admirationem, quando videlicet ſemimortuum

præter omnium cogitationem & vitæ & viribus reſtituit; verùm τȣ͂ citò memor, temporiùs iſthæc pro ſymptomatum nempe & circumſtantiarum exigentia applicare novit. Generalis itaque Indicantis inſtar omnium Analepticorum eſt primò defectus, aut ſaltem langvor ſpirituum, ſive, quod idem, debilitas naturæ, ſive prædictus defectus ex diſſipatione eorundem, ſive ex retroceſſione ortus ſit. Secundò motus eorum præternaturalis. In defectu nempe primariò indicantur Analeptica: in langvore motuve tardiore excitantia: in motu denique inordinato vel confuſo & furore ſedantia. Imò ut hæc in unis atque alteris Affectibus clariora fiant, ſpeciatim acriora Roborantia utiliſſimè adhibentur in apoplexia, lipothymia, paralyſi, imbecillitate memoriæ, melancholia, dolore cordis ſpaſmodico, ut palpitatione, tremore. Sic in proſtratione virium ex atonia ventriculi & lubricitate alvi, extra alium tamen morbum cum appetitus defectu proſunt cinamomum, cardamomum atque trageæ. In anorexia à ſpirituum defectu, Vinum, ſpir. vini, aqua hyſſopi ſpirituoſa, cinamomi cydoniata, ſpir. liliorum convallium, ceraſor. nigr. menthæ, & juxta Hoffmann. Meth. Med. Balſamus embryonum ac ipſa ambra, cui Zacut. Luſit. ſaccharum addit, egregia ſunt. In Bulimo, deficientibus viribus, commendatur Eſſentia Meliſſæ cochleatim ſumpta. Similia atque alia in vomitu, lienteria, apepſia laudantur. Eôdem jure in palpitatione cordis, ſpiritus vini, meliſſa, majorana, ocymum &c. uſurpantur. In aſthmate ſicco convulſivo acetum rutaceum Brunnerus, alii lilior. convall. naribus applicant. In ſangvinis defectu à morbis diuturnis juſcula reſtaurantia aromatis præparata laudantur. In Febribus intermittentibus, ſi frigus ægrum vexat, ſpirituoſa videntur requiri, cum cautione tamen. In Febribus malignis ac peſte prædicantur aceta bezoardica ex vin. deſtillatæ, calendulæ, rutæ &c. hinc Quercetanus in Pharmac. dogm. acetum Venenorum omnium domitorem appellat, vid. etiam Untzer. antidot. peſtil. Barbett. de Peſte p.

ſte p. 641. Bartholin. C. 4. Hiſt. 13. Notum etiam ſatis eſt, aceta in genere vi inſigni confortativâ gaudere tàm externè, quàm internè; unde idem Bartholin. loc. cit. eam vim non ſatis demirari poteſt, dum ſæpiùs obſervavit, acetô roſaceô naribus ac pulſibus oblatô vitæ flammulam, in ingenti quamvis virium jactura, ad aliquot dies ſervatam fuiſſe. Hinc etiam iis fugantur animi deliquia, lethargus, & ſimiles affectus ſoporoſi, cephalalgiæ. In Rhachitide commendat Theriacam Andromachi Sydenham p. 75. & alia cardiaca, ter in die cum diæta analeptica. Nec minùs calidiora requiruntur in epilepſia, melancholia, vertigine. Sic in langvore virium poſt agrypniam, mœrores, curas, prodeſt vinum antiquum. In imbecillitate memoriæ, ſicubi ſubjectum eſt calidum, nimioque fervore ſpirituum affectum, temperata quidem; quodſi verò fuerit pituitoſum, ita, ut ex nimia pigritia nil attendat, omninò acria, v. g. ſpir. formicar. acidus cum lil. convall. aliaque conveniunt. In aphonia à paralyſi lingvæ eadem: in ipſa paralyſi, tremore artuum, impotentia virili, abortu, partu difficili, ſuffocatione hyſterica, in qua in ſpecie ſpir. vini rectificatiſſimus, ſi malum præſertim à frigore ortum fuerit, confert, atque aliis plurimis affectibus ſimilia adhiberi, nemo non tenet. Videmus enim, undiquaque hîc ſpiritus ſeu vires deficere, aut ſaltem langveſcere & torpidiores exiſtere. Affectus, in quibus minùs acria & temperatiora requiruntur, ſunt ii potiſſimùm, quibus calor, vel æſtus inteſtinus, aut etiam inflammatio partium, ſitis & ſimilia ſimul adjuncta ſunt, uti fieri ſolet in feb. ardent. malignis ac peſte ipſa, ubi corpus notabiliter æſtuat, & vires deficiunt indies. Porrigi proinde ſolent potiones & julebi ſvaviſſimi ex acidulis & confortantibus frigidis, cum aliis ut floribus tunicæ, quorum decoctum in febribus malignis laudat Simon Pauli, flor. Til. violar. roſar. Sic in pleuritide, ubi cum pungitivo dolore, æſtus ſimul & proſtratio virium adeſt, floribus papav. rhæad. antecedentes utiliter addi poſſunt cum flor. bellidis. Similiter in palpitatione

cordis cum æſtu, inflammatione hepatis, calculo & ſimilibus exhiberi poſſunt mitiora, præmiſſis & abſorbentibus, ſi quod acidum p. n. in primis viis hæret, & evacuantibus, atque aliis. In genere quippe hæc ſubjectis calidioris temperamenti conducunt. Nutritiva uſum egregium habent e.g. in Hectica, ut vel unicè ex Lacticiniis patet, quæ hecticorum aſylum ſunt & refugium, neque fruſtrà, vid. Miſc. nat. cur. A. 1. Obſ. 19. Diemerbrok Obſ. med. 30. Act. Erud. Lipſ. Ann. 84. p. 183. & imprim. Meibom in Diſſ. de Phthiſ. Curat. per Lac. In ſangvinis defectu paſſim ea deprædicat Sennertus; conveniunt quoque in fame emaciatis, impotentia virili à defectu ſeminis, ac ſterilitate muliebri ſub forma decocti, potionis &c. Neque Excitantium reliquorum uſu ubivis carere poſſumus, ceu ſuprà dictum, quatenus & his non infimus in operando locus exiſtit, imprimis, ſi vitiô nervorum ac per conſenſum contingat vel dolor ſpaſmodicus, ut in paſſione hyſterica, vel palpitatio, vel tremor. Sic ſpiritum fuliginis in lipothymia commendat Hartmann. ſal volatile c. c. & viperarum in perlarum & ambræ ſpiritibus ſolutis in omni debilitate virium extollit Becherus loc. cit. p. 79. Vos, inquiens, protomedici, pro Patronis veſtris divitibus, in longa vita vobis in amplo ſalario diu conſervandis, aliô nullô utamini reſtaurativô, quàm ſale volatili cornu cervi & viperarum in perlarum & ambr. ſpirit. omnibus per ſe, ſine additione factis ſolutis; hæc nobilis medicina ex regno animali prodit, quâ reverà, quoad reſtaurationem ſpirituum, nobilior dari nequit. Cur verò Viperina remedia adeò ipſi arrident, inde eſt, quòd eidem, ſicut p. 78. habet, Tachenius Venetiis faſſus fuerit, ſe ferè per integrum annum Viperas in vitro ſine omni pabulo aluiſſe; nec aliter obſervare potuiſſe, quàm quòd ex aëris attracta ſubſtantia viverent, unde etiam illarum carnem ad longam vitam conſervandam, ſpiritusque vitales roborandos tantùm facere perhibet. An vero Italorum viperæ noſtras virtute ſuperent, quod vult Horſt. L. 10. Obſ. 1. meum facere nolo.

Eôdem

Eôdem pactô Impropria Confortantia & quidem primò Præcipitantia atque abſorbentia locum habent, ubicunque potius acidum peregrinum in primis viis ac aliæ acrimoniæ, quàm alii morbi virium intulerunt debilitatem, & deſtruenda ſunt; quemadmodum e. g. idipſum accidit in cardialgia, ubi propterea Ebur, Corallia, Materque perlarum laudantur; In palpitatione cordis ab acrimonia ſangvinis, Os de corde cervi, lapis bezoar, margaritæ. Neque inconvenienter in convulſionibus, ſpaſmis, imò ipſa Epilepſia, ad humorum ſcil. vitia corrigenda, ordinantur ungula alcis, unicornu verum, ſpecif. cephal. M. cum caſtorinis & ſuccinatis. In Diarrhœa à rebus fermentantibus, terra ſigillata, bolus armena; In cachexia & ſcorbuto cornu cervi, corallia, imò martialia, v. g. croc. martis Zwelfferi cachecticus, præmiſſis præmittendis, plus præſtabunt, quàm centum alia confortantia. Eadem conducunt in arthritide, ad abſorbendam humorum acrimoniam, tanquam radices mali. In torminibus ventris infantum fœculæ pœoniæ, aronis, pulvis marchion. dudum cognita ſunt. Sic in febribus intermittentibus, peccante acido, dolore ab acrimonia, cephalalgia à ſcorbuto, melancholia ex acido, gonorrhœa ad emendandam ſeminis acrimoniam, fluore albo, ad præcavendum abortum &c. utiliſſima ſunt. Expellentia porrò ac ſudorifera alexipharmacea merentur Analeptica dici, quando in malignis ſumma cordis anguſtia & reſpiratio difficilis non aliâ ratione ſedatur, quàm ſi petechiæ, purpura, morbilli, variolæ, bubones, carbunculi, aut latentes, aut retroceſſi expulſi fuerint. Sudorifera enim ſalem volatilem acrem in febribus malignis expellunt, verba ſunt Sylvii Prax. L. 1. c. 33. quô nomine veniunt ſuprà recenſita, ubi viperina itidem non ſunt ultima, nempe ſal eorum volat. eſſentia, ſpiritus, atque trochiſci, qui cum tantillo gummi arabici in vino malvatico, vel aqua viperina ſoluti formantur, aut juxta Zwelffer. Pharm. Reg. p. 133. cum pane biſcocto. Febure verò aliquam portionem viperarum ad conſiſtentiam gelatinæ

co-

coquendam & cum hac incorporandum pulverem viperæ, formandoſque trochiſcos docet. Antimonium diaphoreticum ſeorſim meretur laudari, imprimis martiale, quod ipſum maritatum imprimis cum arcano duplicato febrilem æſtum non tantùm extingvit, verùm ſic ſudorem provocat, ut ſimul petechiæ prorumpant, atque anxietates præcordiorum, capitisque dolor ac ſitis ceſſent. Quandocunque verò in Affectibus doloroſis aut etiam agrypnia & ſpirituum inquietudine à mœrore, curis, aliisve cauſis nata vires labaſcunt, tunc anodyna, atque in ſpecie crocata fiunt Roborantia. Sic quando ſpiritus moventur confusè, rapidè & tumultuariè, ita, ut & hôc nomine à ſtatu naturali recedant, id agendum, ut ad quietem & tranquillitatem reducantur per hypnotica, ut ſunt dicta crocata, opium, papaverina, & ſuprà enarrata, Iſtiusmodi Confuſionem & inquietudinem videmus in agrypnia febrium, & comate vigili, item, ſi quem pavor in ſomno, inſomnia turbulenta & incubus vexat. Magis autem rapidus ſpirituum furor in mania & omni deliriorum genere, hydrophobia, amore inſano, furore uterino accidit. Tumultuariam autem concuſſionem imprimis cernere licet in motibus convulſivis & epilepſia, adhuc pertinaciorem convulſionem in ſpaſmo & contracturis. Laudem proinde hîc merentur dicta non parvam, quatenus inordinatum ſpirituum motum blandè compeſcunt, archeum furentem placant, ſimulque ſudores promovent. Sic in comate vigili ſuprà ſacculum crocatum jubetur dormire æger, aut juxta juglandem arborem. Sic in dyſenteria & calculo, ubi atrociſſimi dolores vires maximè proſternunt, ante omnia requiruntur; de illa enim teſtatur Williſius, Pharmacevt. rat. p. 300. quòd ſine his & in ſpecie opiatis curari nequeat. In calculo verò dolore ſedatô relaxantur fibræ, quas is contraxerat, ſpatiumque conceditur calculo ac venia exeundi. Sic in arthritide, dolore in genere, convulſionibus, cardiaca infantum, cæteris paribus, anodyna omne abſolvunt punctum, ut taceam, ipſum opium Turcis cordiale

eſſe

eſſe medicamentum, teſte Sponio in Peregrinat. ſuis, Tom. I. p. 260.

Sicuti autem ex antedictis legitima Analepticorum adminiſtratio ſatis apparet, ita non abs re errores quidam, & abuſus circa hæc occurrentes annotandi veniunt. Primò enim, plurimi equidem morbi chronici eorundem uſum eò, quòd vix ullus ſit, in quo æger non conqueratur de magna aut aliquali ſaltem virium proſtratione, Müd- und Mattigkeit in allen Gliedern / ſvadent. Imponunt ſibi quoque non pauci, ac neglectis neceſſarioribus, nil niſi Confortantia, ſub varia forma ordinant. Aſt, licet negari nequeat, in omnibus etiam chronicis vires abſumi indies, poſthabitô præprimis conveniente Rerum non naturalium regimine, atque ſic omninò indicari analeptica, ſciendum tamen, hæc minimè ſufficere, quin potius nocere, quàm prodeſſe, hoc eſt: requiruntur alia cauſam morbificam proximiùs reſpicientia, quâ ſublatâ, nullum dubium, quin priſtinum acquiſiturum ſit corpus robur, obſtantque varia juxta diverſitatem morborum. Exemplô ſit Phthiſis conſummata, ſuppuratio pectoris, cachexia, menſium defectus, hydrops & affectus alii. Hîc enim à calidioribus inflammantur citiùs ægri, ita ut in delirio inde excitato moriantur. Hiſce igitur in morbis, ſi ventriculus atque reliquæ primæ viæ cruditate humorum refertus fuerit, hæc priùs removeantur, remotis enim iis, ſuâ ſponte natura vires colligit, aut, ſi deficit, analepticis juvari poteſt. Perperàm proinde confortantia imprimis calida, non prius remotâ causâ morbificâ vires moleſtante, mirè in quibusvis jactantur morbis, ac ſine omni ratione & efficacia applicantur corpori ægroto, cùm natura jàm tùm nimis obruta, inque motu ſuo turbata hæc ſibi applicare neſciat. Modò igitur prius removeantur removenda, tunc optimè confortabitur hoc, majusque robur à vini boni hauſtulo experietur æger, quàm, ſi aliquot amphoras confectionum cordialium ambratarum, totasque lagenas aliorum

liquidorum confortantium hauſerit. Speciatim verò intuitu Acriorum ſ. calidorum, ſiniſtrè hæc adhibentur iis in morbis, in quibus unà cum debilitate virium æſtus præternaturalis atque inflammationes conjuncta ſunt. Audiamus Experientiſſimum Thom. Sydenhamium de Febr. contin. p. m. 38. Caveatur, inquit, ne cardiacis, calidisque medicamentis adhibitis intemperies calida accendatur uberiùs, quô caſu ægri ſubitò pereunt. Et p. 29. Hujusmodi, ait, ægris domi naſcuntur cardiaca; & quæ foris adduntur, aut fruſtranea ſunt, aut etiam damnoſa; quapropter ego vel nulla omninò, vel ſaltem leviſſima permiſerim. Interim verò, ſi æger ex profuſis evacuationibus laſſus & langvidus vel ætate fuerit provectus, ſolenne mihi eſt, cardiaca vel in ipſo febris initio propinare. Morbi autem die duodecimô, negotiô tunc temporis ad ſecretionem vergente, medicamentis calidioribus liberaliùs indulgendum cenſeo, imò pauló maturiùs idem fieri poteſt, modò non metuendum ſit, febrilem materiam in partes principes præcipitem agi; namque hôc tempore, quo magis calefecerim, eo magis concoctionem acceleravero. Atque ſic calida minùs conveniunt, ubi æſtus concurrit, tunc enim potius recipimus flor. roſar. violar. bugloſſ. borrag. cum aliis temperatis, imò verè refrigerantibus. Certum enim eſt, ſuccum citri & mali punici, acetoſam & acetoſellam: cum ſempervivo maj. ipſoque nitro, vel aqua pura fontana, cujus ſingularem energiam in febribus ardentibus & billioſis non ſolùm Galenus olim, ſed & Georg. Hornius in Arca Moſis p. 124. imò ipſa experientia quotidiana ſatis reddiderunt probatam; dum in his caſibus ſola ad ſatietatem epota ſæpè largiſſimum bilioſæ materiæ vomitum, refrigerium notabile & ſudorem in ſomno tum obrepentem egregium præſtat. Vel, ut Hornii verba adducam, ab alcali, inquit, ſitis eſt inextingvibilis, niſi per acida & puram aquam, crudam, incoctam, copioſiſſimè ingeſtam, etiamſi vomitu flammâ prævalente regurgitet, donec aqua in ſtomacho re-

more-

moretur; tollatur, mox ſequitur ceſſatio ſitis, caloris; ſopor, ſudor, ſanitas intra 12. horas, quod ipſe multoties in acutiſſimis febribus probavi. Præcipuam in eo conſiſtere remedio curam, uti frigidæ potu, citra ullam venæſectionem & purgationem, ibidem aſſerit p. 150. plusque efficere, quàm centum aquas apoplecticas, & Quintas Eſſentias. Frigidorum verò intuitu monendum, quòd iſthæc iis in caſibus, ubi acrioribus opus, ſola haud ſufficiant; dum enim in morbo momentaneo remedium requiritur momentaneum, facilè inde patet, quid debilioribus ejusmodi effici queat. Generalis etiam cautelæ inſtar eſt, nunquam naturam debilem & proſtratam nimiis analepticorum doſibus, aut in magna quantitate onerare, cùm potius in pauca, atque ſucceſſivè exhibita plus ægro levaminis afferant. De dulcibus & ſaccharatis dicendum, perperàm hæc nimis & largiter ordinari, quandoquidem in nonnullis affectibus tutiùs omittuntur, v. g. in paſſionibus hyſtericis, quoniam in ejusmodi doloribus ſpaſmodicis propter acidum occultum exaſperant malum. Hinc Wedel. de Med. compos. Diſp. 4. Dulcia, inquit, ſæpè conſultiùs omittuntur, quia bilem & fermentationem humorum augent, & ventriculum debilitant, ſangvinem lutulentum reddunt, obſtructiones augent, verbô intentioni ſunt contraria, unde potiſſimùm in febribus, cholera, dyſenteria, hypochondriacis & ſimilibus humoribus accidis & bilioſis abundantibus; quin & infantibus & epilepticis conſultiùs omittuntur, quòd plus damni, quàm emolumenti exhibeant, & dum palato arrident, corpori hinc & fini magis noceant. Præprimis in Infantum morbis vix illis conceditur locus, quia ventriculus ac inteſtina doloribus & torminibus vexata adeò difficulter talia tolerare queunt, ac certum eſt, ſæpè in his aliisve morbis obſcurari manifeſtè ac impediri effectum aliorum remediorum generoſorum licet, ſicubi vel ejusmodi ſaccharata ſyrupique admixta iis ſunt, vel in potu ac victu ipſo adminiſtrantur. Minùs adæquatè porrò

rò agunt, qui neglectâ ratione idioſyncraſiæ, promiſcuè præſcribunt ambram, moſchum, Zibethum, & ejusmodi plura ſvaveolentia, cùm tamen caſus dentur, ubi moſchata & odorifera alia non æquè conveniunt, vel planè non, ut in fœminis hyſtericis, & nauſeosè reſpuentibus, quô pactô ratio quoque habetur præſcribendæ confectionis alkermes, quæ completa eſt & incompleta. Imò reſpectu pretioſorum horum atque aliorum & hoc addendum, ne cujusvis conditionis ægris, & quorum ſors id prohibet, ordinentur. Circa Impropria unum quoque atque alterum annotare convenit. Primò enim, quoad Abſorbentia, abuſus fieri poteſt, ſi horum nimiâ & intempeſtivâ quantitate vel ſtomachus gravatur, vel ipſa alvus obſtruitur, vel omiſſis efficacioribus aliis, medendi occaſio prætermittitur. In ſpecie verò abrogandum eſt iſtud Terreorum ac Metallorum nobiliorum & pretioſorum æſtimium nimium, dum e. g. perlæ, corallia, ſmaragdus, aurum, os de corde cervi, unicornu &c. pro magni nominis, imò incomparabilibus venditantur confortantibus, quibus neſcio quæ peculiaris ſingularisve facultas roborativa inſit, unde ex illis varias atque varias elicere ſatagunt tincturas, eſſentias, magiſteria. Verùm, ut taceam, a valore rei ſive pretio, ad vires ejusdem medicinales non valere conſequentiam; ut etiam taceam, tincturas illas mineralium utplurimùm eſſe non-Entia, àque virtute concreti planè alienas, quemadmodum de coralliorum dubitat Sala, Crollius & alii, auri verò & argenti Tincturæ aut meræ ſunt ſolutiones, aut à menſtruis ſolis metalli corpus intactum linquentibus, per digeſtionem & alium modum dependentes; nonnulla prout præparata extant, ſolùm per accidens fiunt analeptica. Exemplô ſit eadem coralliorum Tinctura, quæ reſpectu ſucci v. g. citri, quô cum nonnulli eam parant, aut ſucco mali punici, & ſimilium gratorum analeptica eſt. Sic, ſi aquæ carbunculi virtus ab aliis non promoveretur, profectò nihil ſibi promittere poterit de margaritis, auro

auro foliato &c. monente D. D. Bohn. Diſſ. Chym. 11. §. 18. Sic aq. typh. cerv. juxta nonnullorum methodum præparata ſatis analepticum medicamentum eſt. Confectio Alkermes per ſe egregium roborans eſt, nullius autem uſus ſunt folia auri, lapis lazuli. Contrarium videmus in Confect. de Hiacynth. atque Smaragd. qui lapides parum virtutis analepticæ poſſident, grata autem ſtructura gratum reddit pharmacum. Ut adeò faciliùs hæc videantur crumenis pharmacopœorum, quàm ægris opem ferre. Quod Alexipharmaca attinet, quemadmodum hæc, imprimis volatilia temporiùs adhibita primarium abſolvunt punctum. In principio enim febrium peſtilentium & aliarum malignarum, ſudorifera non ſine maximo exhibemus fructu, inquit Hoffmann. M. M. L. 1. c. 11. & omnis mora hîc periculoſa: hinc ipsô invaſionis momentô, maturèque ſumenda antidotus, antequam ſpiritus vitales adeat hoſtis, excludendumque ſeminium morboſum, neque timendus calor productum ſudoris brevi compeſcendus modò excluſum ſit peregrinum. Ita perperam agunt, qui vel nimis ſerò, ubi radices jam egerit morbus, & exanthemata aut latentia aut retropulſa vitalia occuparint, vel non habitâ ratione ætatis, gravidarum, virium, fluorum ſangvinis ea applicare, inque ſubſidium vocare audent, imprimis in magna doſi ac quantitate. Intutò etiam ſudor plus juſtô rigorosè imperatur & continuatur, eôque ipsô ſerum privatur, tantò magis, ſi cruciantur continuô udore, neque gutta potus conceditur. Sicut autem ipſa alexipharmaca inter ſe differunt, ut alia ſint acria, alia mitiora, ita ſelectus qq. horum probè inſtituendus. Anodyna tandem & Hipnotica quales involvant cautelas, me etiam ſilente conſtat, àque viris celeberrimis ſufficienter deductum eſt. Ut tamen unum atque alterum præprimis de opiatis adducam; Sicuti hæc rectè adminiſtrata divina ſunt remedia, ita crudelia evadunt & funeſta imprudenter adhibita. Ea nimirum obſervanda moderatio eſt, ne, quem ob-

dormire volumus, poſtea excitare non poſſumus, ut rectè habet Celſus L.3. c.18. Hinc neque in memoriæ imbecillitate, phthiſi, pleuritide, hydrope, neque aliis caſibus uſurpanda, aut in quibus uſurpanda, fiat tamen idipſum in juſta doſi & parcè. Exempla nefanda & triſtia de hoc ipſo collegit Williſius de anim. Brut. P. 2. c. 3. Pharmac. rat. P. 1. c. 2. Bonett. Anat. Pract. L. 4. ſ. 1. Obſ. 15. Conf. ſententias Sennerti Prax. L. 1. P. 2. c. 1. & L. 6. P. 7. c. 1. Sic Crocus riſu interimere ſcribitur &c. Plura quoque ratione conſiſtentiæ, ſaporis, odoris, monenda forent, quæ tamen brevitatis ſtudens, lubens prætereo. Modus denique & Forma utendi Analeptica, notiſſima ſunt. Internè quippe vel ſub forma Potionis, vel Julepi, Emulſionis, morſulorum, electuarii, pulverum &c. externè odoramenti, balſami, cucupharum, epithematis &c. vel carpis manuum, vel naribus, temporibus, nuchæ, vertici, lingvæque admoventur & objiciuntur. An autem effectus aliquis evadat, ſi quis ea teſtibus ſub forma epithematum applicare velit, quod vult Bartholin. in Anat. renovat. p. 222. penes experientiam linquitur, potiſſimùm, quia hôc aſſertum nititur eô, quòd teſtes cum corde habeant conſenſum.

Tantum.

IA-264
J693
H6496